



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1400. usque ad annum 1415 - Unacum Dissertatione
Præliminari Ad Historiam Sæculi XV.

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1767

VD18 90118286

§. 24. Benedicti Oratores minus benigne excepti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66281](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66281)

(ut inquiebat ipse & prout re ipsa Gallis Sæcul. XV.
A.C. 1404. persuasum erat) ut Bonifacium ad pacem Ecclesiæ Pontificatus cessione restituendam inducere conarentur. Oratores isti anno millesimo quadringentesimo quarto mense Septembri ad finem vergente Romam ingrediuntur. Non erat, qui certissimum non haberet, hisce Legatis unice injunctum esse, ut Bonifacio abdicationis viam proponerent, cum & ipse Benedictus se vicissim Pontificiæ dignitati renuntiaturum ubique sparsisset. Verum, quo pacto ipsa ejus perfidia in proprium caput reciderit, totumque suum negotium ad pessimam reduxerit conditionem, mox palam nobis fiet.

§. XXIV.

Benedicti oratores minus benigne excepti.

Postquam Benedicti Oratores Romæ advenierant, Bonifacius Papa illis aditum negabat, nisi prius fidem darent, se illi Pontificalia delaturos obsequia, eumque tanquam Papam veneraturos, qui quamvis ab initio nonnihil tergiversarentur, tandem, ne pacis negotio obstacula ponerent, Pontificis voluntati morem gesserunt. Legati ad colloquium a Bonifacio admissi ex parte Benedicti

Hist. Eccles. Tom. XXV.

C haud

Sæcul. XV. haud alia proponunt, quam quæ Bonifa-
A.C. 1404. cius, ut diutius illuderet Orbi, jam ipſus
 dudum exoptaverat, nimirum, commu-
 ni utriusque consensu tutum quemdam
 feligendum esse locum, ubi de mediis ad
 abolendum schisma opportunis ambæ
 partes agere possent, declarantes, suum
 Dominum ad tam salutare negotium para-
 tissimum esse. Ipsi quoque Cardinales
 Bonifacio addicti oppido benignis auri-
 bus hanc propositionem excipiunt. Ve-
 rum Pontifex iste Benedictum sese jam
 antea ad cessionis viam solemnī sacra-
 mento adstrinxisse optime gnarus, in
 primo hoc confessu suam suspendit sen-
 tentiam, responsumque decretorium ad
 subsequens remisit colloquium, quod e-
 tiam Oratoribus concessit, atque ad vige-
 simam nonam Septembris, quæ erat
 sancto Michaeli sacra, in suo Palatio pe-
 nes Basilicam Principis Apostolorum in-
 dixit, celebratumque fuit præsentibus ipſo
 Bonifacio, suis Cardinalibus, multisque
 aliis Curia Ministris.

Episcopus sancti Pontii in hoc collo-
 quio præsentis schismatis mala omni-
 virium contentione exaggerabat, eo fi-
 ne, ut Bonifacium ad cogitationes pacis,
 a quibus valde alienus videbatur, tandem
 flectere valeret. Attamen, cum Episco-
 pus Benedicti merita extollere non
 posset, quin eo ipſo Bonifacium deprime-
 ret,

ret, Pontifex, cui plene persuasum erat, Sæcul. XV.
 quod, si Competitoris sui agendi ratio co- A. C. 1401.
 honestari, atque probari valeret, ipse ju-
 re suo excideret, indignabundus respon-
 dit: se legitimum Pontificem, Benedi-
 ctum vero Antipapam esse. Tunc Le-
 gati haud parum offensi replicant, Domi-
 num suum non esse simoniacum, tacite
 fugillantes propudiosam beneficiorum
 nundinationem, cujus Bonifacius reus
 dicebatur: Hoc responso Papa vehemen-
 tiori ira commotus jussit eos rupta o-
 mni mora Roma excedere, atque ad sua
 redire. Ad quæ Legati respondent, sibi a
 Papa, populoque Romano fidei publicæ li-
 teras datas, illis proin, utpote tempore si-
 bi præstituto necdum elapso, sese usuros.

§. XXV.

Bonifacii IX Papæ obitus.

Bonifacius hoc Legatorum responso im-
 moderatius fervore animi excande- *Monach.*
 scens in morbum incidit, violenta febr- *S. Dionys.*
 correptus, cui accessit gravissimus, quo *l. 24. c. 12.*
 jam diu laborabat, calculi dolor, hujus
 morbi vis tribus ex post diebus feria quar-
 ta die prima Octobris, anno sexagesimo
 quinto ætatis suæ, Pontificatus vero de-
 cimo quinto e vivis eum exturbavit. Vix
 extremum egerat spiritum, cum illico Ca-
 stelli sancti Angeli Præfectus, qui Papæ
 defun-